



Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moralium ... t. ...

In Dominicas totius anni

Schrötter, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1688

XLIV. In Domin. XV. Post Pentec. Ecce defunctus efferebatur filius unicus
matris suæ. Luc. 1 Arg. Testamentum defuncti Naimitici.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56320)

CONCIO XLIV.

IN DOMINICA XV. POST PENT.

Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ.

Luc. 1.

ARGUMENTUM.

Testamentum defuncti Naimitici.



Mortuus majorum comparatum est, ut deficiente vite plerique voluntatem suam ultimam tabulis consignent, quatenus saltem moriendo beneficia proximis, aut Mæcenaribus resendant, qua vivendo acceperant; vel certe in nemo/ynon, & benevolentia testatam dilectis relinquunt. A. Hac ratione demandatum legimus Ezechia Regi cœlitus, ut testamentum nuncuparet, aut scriberet; eò quod brevi ex hac vita migraturus esset: *Dispone*

*Isa 38 & 4.
Reg. 20.*

domus tua, mortuus enim tu, & non vives; Eodem ritu accepimus Abrahamum Patriarcham filium suum Isaacum

hæredem ex asse bonorum suorum constituisse; filiis autem concubinarum dedisse munera. Ita Jacob in postremis adoptavit filios Josephi Ephraim, & Manassen in proprios, adlegitque in sortem hæreditatis à Deo sibi promissæ. Ita alii quique prudentes, ac sapientes eundem in finem testamenta condunt, & quod ore, (Libitina fauces advinciente) subinde nequeunt, calamo proloquuntur.

Quum itaque hodierna die Anniversarium in civitate Naim defuncti obeamus, nec quicquam de testamento ipsius acceperimus, inquirendum testat, an ab intestato decesserit, aut qualenam condiderit. Aptate animos A. ad assem quisque suum participandum,

§. I.

§. I.

Addubatur de Testamento,

II. Ex una parte propugnare quispiam posset testamentum omnino non fecisse hodiernum defunctum.

Ulpian. tit. de test. s. filiusfamil. Etenim Regula Juris est: *Qui alieno juri (subjeti sunt, Testamenti faciendi jus nullum habent.* Etenim peculium, quod commendare hi testamento alicui nituntur, non est ipsorum, sed illorum quorum obnoxii sunt juribus. Et licet parentes filiis indulgerent ordinare postremam suam voluntatem, nihilominus in foro fori Testamentum eorum esse irritum. Siquidem Testamenti erectio est juris publici, ideoque nequit ab homine privato concedi, sed à lege duntaxat vel principe; & jus conventionibus privatorum nequit immutari.

III. Adde si præsens Evangelicus defunctus per conniventiam aut privilegium quodpiam testatus quidpiam esset, constaret utique, & posset illud publicè exhiberi. At verò à tanto tempore necdum exhibitum; ergo vel non constitutum, vel certè subductum, vel quod verus falsificatum.

IV. Et forsitan ea ipsa de causa non restato decessit, quod nosset testamenta ut plurimum non tam relevare propriam conscientiam, quàm oneraticam.

Magnatum quispiam sollicitatus ab assistente sibi Sacerdote, ut siquidem improlis decederet, sua bona aliis te-

stamento inscriberet. Cui ille: Ut video mi Domine intenditis ne vestri, aut aliorum pauperum sim immemor. *Testamentum saepe falsificatur.* O si id totum Ecclesiæ, si Pandochia reciperent, quod illis dicatum, consignatumque est, non opus esset aliis pijs Legatis, aut Ereccionibus. Ad quid ergo aliorum conscientias onerabo? An fortè ut inferioram extendam potestatem, ut syllabum damnandorum augeam? Id certè nemo mihi persuaserit. Succedunt huic consanguinei, urgeat & ipsi quatenus annuat, ne bona in direptionem veniant. Victus precibus poposcit membranam, & in ea Testamentum semetis arbitris sequentibus verbis exarat.

In nomine Domini nostri Jesu Christi Amen. Ego N. N. ager quidem corpore, sed sanus mente animam meam Deo meo consigno, corpus terra, ex qua sumptum restituo, bona mea Primo & Feliciano inscribo, id est, quod quisque primò rapuerit, hoc teneat.

Hæc exarata, proximis consignanda tradidit, omnibus insciis quidnam aut cuinam bona sua inscripserit. Soli Sacerdoti cum subinde secretum sub sigillo tamen manifestasset, ilque innotitum Testamenti tenorem stupesceret, id ipsum, quod supra replicavit: Quis unquam testamento satisfecit? Quis ad unguem, & assensu executus? Præstat itaque ut eitra Dei offensam rapiant, quàm cum illa. Et tu ut primus sis, & felicissimus accipe saccum illum auro factum, & pro me Deum exorato.

*Testamenti
falsificatio
astuta.*

V. Insolentius quidpiam refertur de quopiam villica Ruthena. Hujus maritus jamjam acturus animam adjuravit uxorem, quatenus vendito bove domestico pretium in sacrarium pro anima sua inferret; aut Mylta pro felicitate deferret. Recepit illa facturum religione optima, ac sacrosancta. Mortuo interea viro, ac tumulato, anxia nonnihilum, uxor de jurata stipulatione insigni astu exolvere fidem intendit. Educere enim in forum præcepit pecus, quod illa prope cum gallo gallinaceo sequebatur. Quærentibus quanti venderet bovem respondit, se non vendituram illum nisi unâ cum gallo. Abeuntibus aliis, tandem unus mercatorum statuit utrumque præstinare, percontaturque quid posceret? Cui illa citra ullam licitationem dabis mihi pro bove sex grossos, & pro gallo florenos triginta. Institori res ut lepida visa, ita nec iniqua; solvit pretium, & abiit. Ipsa autem aram accessit, impositisque sex grossis, tanquam religione functa, secura domum & ipsa concessit.

Hic apologus Ruthenis affingitur, sed utinam apud nos Pruthenos non verificaretur! Utinam tutores suppari astu pupillos non fallerent! Utinam Executores per simili dilemmate aliorum bona ad se non attraherent! Quoties enim cum bona derelicta sub hastam mittuntur, illa flocci appenduntur, quæ Dominus executor, aut vitreus retinere molitur; illa maximi, quæ pupillis, & aliis hæredibus asservantur. Quoties Philippeum in florenum, florenum in grossum, equum in hinnulum vetera iniquissima commutant?

Quoties sæculi integerrimi subducuntur, ne in divisionem veniant.

VI. Alcezarum quispiam in extasim raptus, vidit basilicæ educum palatium, in eoque collegium Apostolicum cum aliis congregatum cœlicolis. Vidit item aliud non minus splendidum, in eoque solum S. Joannem commorantem. Perit qualisnam illa basilica, vel quidnam ille solus illic actitaret? Et audiit palatium hoc architectatum esse pro sanctis executoribus, ex quibus necdum ullus alius præter S. Joannem inventus, cui tanquam tutori matrem suam dilectissimam Christus D. commendaverat. Hic etiamnum præstolatur socium, ac collegam, nec invenit.

Noverat hæc credo piè defunctus, ideoque credibilissimum est, nullum testamentum condidisse, sed in vita sua si quid habuit, nuncupasse.

S. II,

Evincitur testamentum condidisse,

VI I. Hæc etsi potenter pro parte adversa militat, multo tamen probabilius mihi videtur testato decessisse. Et si enim ut filius testamentum juridicum erigere nequiverit, nihil obstat, quominus matre annuente quidpiam pro anima sua, vel testificaturus amorem suum inscribere potuerit.

Sed quidnam illud? Exhibe nobis dicitis instrumentum illius testamenti, si vales. Bene est præstabo, quod vultis, & quidem ex archivio Salomonis vetustissimo. Arrigite aures dum inscriptionem illius revolvo: Testamen-

*Executores
testamenti
pauci sancti*

*Testamen-
tum mundi
mors.*

men-

mentum mundi. Hæc Epigraphæ est, quodnam contentum illius? *Morte morietur.* Hoc est testamentum à sæculis conditum, & per Adamum Protoparentem ad nos transmissum. *Quæcumque die comederis, ex eo morte morieris.* Hoc est testamentum quod nobis, posterisque omnibus inscripsit.

VIII. De Zisca Bohemorum Duce perhibent Historiographi pellem suam testamento addixisse confœderatis rebellibus, ad tympanum militare obducendum. Nisi fortè spe, futurum, ut illius pulsû adversarii in fugam agerentur.

Dico ego, citra fictionem omnem, defunctum Naimiticum sub simili tenore suam nobis pellem destinasse, membrana loco; eique inscripsisse inviolabile hoc testamentum: *Morte morieris.* Alia plebscita hujus mundi violari queunt, & eapropter tetis araneorum persimilia habeantur, quibus invalida animalia nullo negotio involvuntur, strangulanturque; valentiora autem violant, ac perrumpunt. Tenuioris enim conditionis homines constringunt, à potentioribus autem impune rumpuntur, ac despuuntur. Unde Poeta,

Dat veniam corvis, vexat censura columbos.

Perrumpunt leges Duces, & Reges; sed hærent victi, ærumnis stricti. At verò leges mortis, leges naturæ sunt infallibilibus, æqualiter omnes ambiunt, nullam excusationem admittunt, nec ulla eas prævaricari pollet. Etenim ut alter accinit:

*Pallida mors equo pulsat pede
Pauperum tabernas, regnumque
turre.*

*Mors infal-
libilis*

Quemadmodum mortalium nemo est, quem frigora non impetant, quem procellæ in mari non exagitant, quem morborum catervæ non infestent: ita nemo qui Libitinæ non fuerit mancipatus, Ab aliis legibus, ab aliis periculis nos eximere, eaque præcavere possumus; at verò ut plurima Lethes discrimina cum Ulyssæ devitemus, universa nunquam pollebimus. *Moriendum est.* Quantumvis quispiam fortitudine evincat Herculem, aut Samsonem; sapientia Salomonem, aut Platonem, eloquentia Demosthenem, ac Ciceronem, pulchritudine Helenam, & Absolonem; potentia Assuerum, ac Macedonem; *Moriendum est.* Quantumvis ferratas corpus obiciat fores, atque firmet pessulo, & robur satelles stipet excubiis latus, moriendum est. Nulla arx tam inexpugnabilis, quam non perrumpat, nullum corpus tam validum, quod non sternat. Quantumvis fumosas parentum crepes ceras, situeque nigra stemmata, moriendum est. Mors surda titulos calcas, & cervicibus secures stringit principum; soccos cothurnis, scepra sarculis, trabeas adæquat pentulis. Quantumvis dracones frænes colchidis, & cursus metiare Icaris, fatalem hanc necessitatem non eluctaberis, moriendum est. Quidquid ortum est sub leges necis Parca nota parcens vocat. Ubi nunc Adam generis humani sator? Ubi superbi caput imperii Belus, Ninusque scepro proximis?

ximus? Ubi Scipiones clarissimi quondam Duces, & belli fulmina? Ubi Rex noster Calimirus? Ubi Michael, Vladislaus, Sigismundus, quâ pietate, quâ fortitudine commendabiles? Vel si vos tam procul mente peregrinari tædet, indagare ubinâ manserint cõcives vobis optimè noti, utinam tot matronarum virtute, ac sanctimonia vitæ commendatissimæ, virgines honestissimæ; juvenes maximæ spei? Quid ajo excutite proprios Lates, disquirite in iis proprios parentes, fratres, sorores, avos, pravos quonam abièrè? Quo? Eheu crudeli fatorum imperio succubèrè. Hic finis senum, hic finis juvenum, hic proborum, ac reproborum, hic proximorum, hic alienorum.

VIII. Olim Libitina Parca nominabatur à Latinis, forsitan quod plurimum indulgeret, ac parceret; jam verò Mors à morsu nuncupatur, quod nulla dies, nulla hora transeat, quin partem vitæ nostræ admordeat occidatque. Olim non nisi decapulares, deploratosque aufererat, jam verò in extremam desit tyrannidem, cum in omnes æquè debacchetur. Olim perurbanè fores ingredi visa; nunc subdole, ac fraudulenter furis instar per fenestras ac furnos enititur. *Mors ascendit per fenestras.* Olim notarium suum Cannitiem, aulicosque ægritudines præmittebat; nunc obvios quosque etiam die non dicta sæpiusculè occupat, & propè momento strangulat. Olim pedes incedere visa, & ad ollas pauperum demorari: *Mors in olla;* nunc ut citatiore cursu vitam nostram defalcatura teratur, Cancellario Apocalypsi-

co teste, caballo insidet: *Vidi, ait equum pallidum, & qui sedebat super eum, nomen illi Mors.*

Et fortassis nos ipsi properanti stimulum, ac calcaria addimus sceleribus nostris; *Stimulus enim mortis peccatum est.* Hoc stimulo propellit Pegasus suum, hoc nos ipsos ad suam adurget sequelam.

IX. Justus Paschasius de Broëto quopiam juvene meminit, morientem testamento inscripsisse aliis juvenibus consodalibus suis os brachii sui; petens ut ex iis aleas sibi efformari curarent. Sed qua id conscientia facere potuit?

Alea quippe furtorum, ac rapinarum proxeneta, irarum, maledictorumque in superos hominesque inflammatrix, perjurii atq; malitiæ omnis obstetrix. Hanc legum condidores in tabulis proscribunt, sapientes scriptis infamant, universi sermonibus criminantur. Aristoteles Numen illud sapientiæ eam illiberalium hominum, & in sordido lucro versantium propriam esse asseverat. Apud Jurisconsultos animadversio quoque in eos constituitur, qui alios ludere compellunt, ut ex Codice Theodosii planum redditur, Quin etiam M. Tullius author est Lenticulam Marci Antonii collusorem lege de alea condemnatum, & hominem nequissimum ob id indigitat Antonium, quod in propatulo luderet. Horatius quoque legibus interdictam tanquam rem probrosissimam ostendit illo versiculo: *Seu malis vetita legibus alea,* alii plerique Satyrico dente perstringunt.

Neo immeritò. Hæc enim teste

Apo. 6. 2.

1. Cor. 15. 9. 59.

Iustus Pasch. lib. 6. de Alex.

Alea noxia & prohibita.

Arist. Eth. 4.

Cic. Phil. 2.

Alea origo Pla.

Vita brevitas.

Mortis celeritas. Ier. 9. 21.

4. Reg. 4. 40

*Aleatorigo.
Plato in
Phaedro.*

Platone Sapientum principe auctorem Theuth, seu Theutatem monstrum Thanarium habuit, ut nulli dubium esset aleatores Orci mancipia esse, illique fœderatas animas habere.

Pudet commemorare, quàm multi hoc vitio teterrimo ad incitas egestatemque redacti, sibi & suis fuere de honestamento. Quàm multi, dum longiores ob aleas digitos acquirunt, carnicis laqueo strangulati, mortem opteriere ignominiosissimam! Quàm multi civitate ejecti, proscripti, ad ultimam Thulen amandati! Noverant enim famato cœtui labem non facile eluendam affricandam, nisi tam infame genus ludorum ab averno progenitorum exturbassent. Quo sine igitur os brachii sui testamento in aleam juvenis præfatus inscripsit?

Nimirum, ut scirent summam felicitatem mundi in hoc consistere, ut alea cadit. Ut nossent vitam nostram ludum esse, & quidem tesserarum, seu alearum. Ita enim Plutarchus. Vita nostra per similes ludo alearum est. *Quid jactu cadat non est in nobis situm, at quot ceciderit recte disponere in nobis est.* Sic eventus in nobis non est, quod evenit in bonum vertere nostri muneris est. Inscriptis os pro aleis, ut sciremus nos hic dum vivimus ludere de cœlo, & inferno. Et quidem sapesæpius nummo vilissimo exili honore, spurcissimæ fœminæ larva jacitur alea gehennæ, prodigitur beata cœli gloria, luditur inquam immensa, & interminabilis æternitas. O pudor, ô stupor, ô mens amens, ô cor vecors! Te te ego appello cum Angelo Tutelari Udonem Magdeburgensem à lusu dehortante: *Vdo*

*Plut. lib. de
animi
tranq.*

Vdo cessa à ludo N. N. desiste jam satius lulum est. Agitur hic de summa capitali, non de obulo uno, aut altero; agitur hic de vita & quidem sempiterna; de fama, ac beatitudine nunquam intermoritura. Si igitur corpus tuum tympanum reputas, ita alea in eo ludas, ne torum perdas. Vide ne Lusitania tua tibi refingatur in Tartariam, ne lusus tuus fiat abusus, ne jactu uno animam, gratiam divinam & beatitudinem æternam exponas.

X. Viri nonnulli sanctissimi quum tota vita sua effusissime dilexissent, proximum, inque variis charitatis operibus summo in eos studio se exercuissent; ne fortè Libitina flammam eorum extinxisset crederetur, testamento corpus suum medicis transcripsere in anatomiam, quatenus ex eo constitutionem illius investigantes, ac morborum radices exenterantes discerent proximo opitulari, ac vitæ eorum consulere.

*Iancie in
test suo.*

Nemo quæso addubitet de charitate hodierni defuncti, nec illam mors remorata est, aut sopivit. Commisit & ille nobis totum corpus suum in anatomiam, ad exenterandum, & eviscerandum illud. O quam felices essemus, si modo sapientissima, ac saluberrima illius anatomia uteremur! Profectò multò melius nobis saperent cœlestia, multò magis desiperent carnalia, ac transitoria.

XI. Cæsarius vir Ordinis Cisterciensis religiosissimus meminisse tyronem quempiam nomine Lissardum hoc medio ab egressu ex religione retardatum. Cùm enim ejusmodi cogitationibus prægnans, volveret, revolveret-

*Cæsar. l. 4.
c. 4.*

Ccc

que

que abiturum, apparuit ei Angelus in specie alterius fratris, eumque ad cœmitem deduxit, & in eodem referato prodigiosè sepulchro cadaver quodpiam deterrimum spirans odorem eidem exhibuit, hac adjecta cautione: *Vides hominem hunc, cito talis eris, quo vis irer?* Vides quò recesserit forma illa frontis, vigor mentis, ardor pectoris. Vides quo emigraverint veneres asperæ ori, honores afflati oculis, lepores illigati labiis, decus affusum cervici, capillorum venustas, capitis majestas? Vides quàm miserum bonum corporis, quàm mendax illius gloria, quàm futile formæ præconium. Vides ut nidulantur in hoc cadavere vermes, tineæ, bufones; & crede mihi te breviter andem subiturum sortem. Quorsum itaque viam meditaris, quum proximè ad hunc tumulum sis perventurus? Revertere, revertere, & si gestis aptus esse regno Dei, ab aratro manum ne remove. Hac ille admonitione, ac horrendo deterritus spectaculo, divinaque illuminatus gratia, ab omni tentatione subito liber evasit, & constans ad mortem usque perseveravit.

Sams.

XII. Non minus memoria dignum est alterius adolescentis exemplum. Audiit hic in Ecclesia librum generationum Adam, descriptum in capite quinto Geneleos, & ubique apponi & mortuus est. Et factum est omne tempus quod vixit Adam anni nongenti triginta, & mortuus est. Et facti sunt omnes dies Seth nongentorum duodecim annorum, & mortuus est. Et facti sunt omnes dies Cainam nongenti decem anni, & mortuus est. Et facti sunt omnes dies Mathusala nongenti sexaginta novem anni & mortuus

est. &c. Audiit hæc, & sequentia, ac stupore plenus, compunctusque ait in tra se: *Hi tantum vixerunt, & mortui sunt, nos quoque moriemur.* Et quidem multò maturius. Neque enim mihi aut sæcula Adam, aut Enos, aut Seth, aut Mathusala promittere sano iudicio præsumo. Quid si nec sexagesimum attingam annum? quid si nec quinquagesimum, quid si post lustrum unum vita fungar aut citius? Quid tum me egisse, aut elegisse malle, id profectò, si prudenter procedere gestio, nunc mihi agendum est. Dixit & mundo renuntiavit, ac religionem in qua sanctè vixit, pieque obiit, ingressus est.

In Vitis pp. Prad.

XIII. Quid putatis non de uno, alterove homine privato, sed de integris ordinibus? Unde illi originem suam duxerit? Revera plerique ex anatomia cadaverum.

Ut alios taceam unum adduco S. Sylvestrum congregationis Sylvestrinorum conditorem. Hic cum adhuc floreret ætate, viso homine emortuo compunctus, ejusmodi in vanitatem mundanam exardere cœpit odio, ut in hæc verba proruperit: *En ego sum, quod hic fuit, & brevi ero, quod hic est.* Ita ego nunc nivea, ut ille quondam vector pellicula, ita & mihi ut illi quondam facies spuma Erythrea candet, ita oculi scintillant, ita vigent artus; sed heu paulò post perinde, ac ille umbris obsidebor larvalibus, profundis oculorum lacunis nidulabuntur bufones, & in semiarroso corpore delitiabuntur amphibœnæ. *Brevi ero, quod hic est.* Quid ago? Vale munde immunde; valete millies fastidia Tantali triclinia acerbissimarum gymnasia miseriarum; valete quis-


qui-

quiliarum thesauri, mundissimum cœ-
num, odoratissimi putores amœnissi-
ma senticeta. Vale inquam, & quàm
voluptatis ac gloriæ proponis areolam
tuis impertire alumnis, me umbra se-
curiorem illatebrabit cœnobitica. Ita
ille. Et è vestigio quod mente concepit
opere executus est, non modò sanctis-
simam ipse exorsus vivendi rationem;
sed ad alios insuper ad eandem allici-
endo, & inducendo, provexit.

Ad eundem modum si pia e-
jusmodi anatomia usi fuerimus, fieri
vix potest quin opulentissimi atque sa-
pientissimi ex ea evadamus.

XIV. Aprate itaque ac laxate sinum
mentis vestræ, & hanc hæreditatem te-

stamento tam luculento inscriptam a-
vidè excipite. Proderit enim ea vobis
multò insignius, quàm thesauri ex tu-
mulo Davidis ab Hircano eruti, im-
primis si ex ea commoti fueritis ad a-
morem virtutis, ad odium peccati, ad
contemptum mundi, ad desiderium
vitæ æternæ. Proderit si non in præ-
sentiarum duntaxat, sed omni loco, ac
tempore, in omnibus iis, quæ versa-
mus, illius memores fuerimus. Prode-
rit si ut præsentem semper ob oculos
poluerimus, & tanquam in capulo po-
sitos cum hodierno defuncto imagi-
nati fuerimus. Capeffite ergo hoc cle-
gatum, & intra præcordia altissimè re-
condite. Amen.



CONCIO XLV.

IN DOMINICA. XVI. POST PENT.

Si licet Sabbato curare? Luc. 14.

ARGUMENTVM.

Sabbatum Domini sanctificandum.

IXordium præsen-
tis Evangelii non
est aliud, quam
interpretatio bre-
vis tertii præcep-
ti Decalogi: Me-
mento, ut diem Sab-
bathi sanctifices. Aud. Id enim quæ ver-

his, quæ operibus est interpretatus,
cum fas esse festa luce non animis duntaxat,
sed & corporibus mæderi de-
claravit Magister æternæ veritatis
Christus Deus.

Nihilominus hujus præcepti
interpretationisque nonnulli tam ru-
esse videntur, ut magis sapiant

*Sabbatum
ab Eth. itis
unde deri-
vatum*